

Itaque impossibile est, ut Deus gloriam suam abiciat, aut etiam ulli alteri bono cujuslibet creaturæ postponat. Et merito largissimus Dominus ac Deus noster, dum omnia sua bona effusissimo amore contulit homini in utroque ordine, naturali et supernaturali, gloriæ tributum sibi reservavit: *Et gloriam meam alteri non dabo* (1): quod si non faceret, re vera inordinate ageret, ut patet ex dictis.

Illud autem vere mirabile est in hac re, quod ut egregie explicat Lessius, «dum Deus spectat suam summam gloriam, eo ipso necessario spectat, et intendit summum bonum nostrum: quia summa ejus gloria est summum bonum nostrum, et summum bonum nostrum non potest esse nisi summa ejus gloria. Ratio est, quia summa ejus gloria externa est, ipsum a nobis perfecte cognosci, amari, et gustari. Unde consistit in tribus actibus vitalibus: et in iisdem formaliter consistit summum bonum nostrum et vita æterna et essentia beatitudinis (2). Summum enim bonum nostrum et formalis beatitas est Deum videre, amare, gustare, seu quod idem uno verbo dici potest, Deo frui. Itaque in summa Dei gloria extrinseca formaliter et intrinsece includitur summum bonum nostrum ita, ut sine illo concipi nequeat: et hoc ipso, quod Deus illam gloriam intendit, et quærit, intendit, et quærit summum bonum et commodum nostrum. Unde non minus Deo gratias agere debemus, quod quærat gloriam suam, quam quod quærat salutem nostram. Hoc in hymno angelico Ecclesia insinuat, cum ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*: beneficia enim ipsius in nos, sunt gloria ejus» (3).

Quæ cum ita sint, ut omnia in hoc articulo disputata uno verbo comprehendamus, facile jam cernitur gloriam ac bonitatem divinam esse ultimum finem qui vel cuius creatio- nis divinæ; finem autem cui ultimum ac supremum esse Deum, in cuius obsequium et honorem ordinatur tota

Divina
bonitas est finis
qui vel cuius;
Deus finis
cui supremus;

(1) *Isaïæ*, cap. 42.

(2) Id tamen alii negant, nempe omnes illi, qui beatitudinem nostram essentialiter in sola visione divinæ essentiae reponunt cum S. Thoma (1. 2, quest. 3, art. 4): qua de re non est nunc locus disputandi.

(3) Lessius Op. cit. cap. 3, n. 60.

creatio, quique est verissime *alpha et Omega, principium et finis* (1) homo vero est finis cui proximior, in cuius utilitatem et commodum servit tota corporea natura.

97. **Objc. 1.^o** Finis, quem Deus creando mundum intendit, non potuit esse aliquid finitum et creatum. Atqui gloria Dei externa finitum quiddam et creatum est. Ergo...

Resp. dist. Major. Finis cui, conc.; finis qui vel cuius, neg. Et concessa Minore, dist. eodem modo conseq. Nam Deus quidem est illud, ad quod omnia tandem ordinari necesse est. Verum id, quod Deus obtinet etiam tamquam finem qui supremum, creando, non potest esse ipsa bonitas increata Dei vel gloria interna, sed solum manifestatio et communicatio bonitatis increatæ in gradu finito et gloria externa, sive objectiva sive formalis, quæ pariter finita est et creata, ut patet ex dictis.

Objc. 2.^o Nequeunt multa et diversissima ad unum finem ultimum ordinari. Ergo neque bonitas neque gloria divina sunt finis ultimus rerum omnium mundanarum.

Resp. dist. Multa nequeunt ad unum finem ultimum objectivum ordinari, neg.; formalem, conc., et neg. conseq. Omnia enim ad unum idemque ordinantur, licet diversimode illud assequuntur, unumquodque secundum naturam et gradum perfectionis assimilando se fini communi (2).

Objc. 3.^o Explicata a nobis sententia eo tandem adducit, ut imminuatur in nobis æstimatio divinarum beneficiorum, cum in illis Deus non tam bonum nostrum, quam suum quærere videatur. Sane si dominus splendidis vestibus sua mancipia induat, non ob ipsorum commodum vel gloriam, sed solum ob gloriam suam, ut ipse omnibus sit admirationi, non censetur valde liberalis aut beneficus in illa mancipia (3).

Resp. neg. assertum; jam enim superius diximus Deum non posse non agere omnia propter suam gloriam; cum qua nostra conjungitur felicitas: quare stultum et impium foret, exigere ut Deus ad nostrum bonum tamquam ad ultimum

homo
autem finis
cui proximior
mundi.

(1) *Apocal.*, cap. 1, v. 8.

(2) Cfr. Suarez, disp. 24 *Metaph.*, sect. 1, n. 16.

(3) Apud Lessium, loc. cit., cap. 3, n. 68.

finem beneficia sua ordinaret. Accedit quod Deo «nihil commodi proveniat ex omnibus, quæ nobis donat, vel pro nobis facit, sed in illis omnibus solum quærat commodum nostrum. Nos soli sumus, in quorum commodum omnia facta sunt.» Quare exemplum de domino mancipiorum simile non est. «Ille enim non quærit commodum suorum mancipiorum, sed solum gloriam suam: unde non ex affectu benevolentiae, sed ex amore sui illis beneficium præstat. Deus vero ita quærit gloriam suam, ut simul quærat commodum nostrum, et ex affectu benevolentiae erga nos illud conferat; immo summam gloriam suam in summa benevolentia et beneficentia erga nos constituit. Sicut si aliquis Princeps potentissimus et nullius egens, omnem gloriam suam constitueret in beneficentia et liberalitate erga subditos, et summam eorum felicitatem, summam duceret esse suam gloriam, quis non summo amore summaque laude prosequendum diceret hunc Principem, eo quod tali modo quærat gloriam?» (1).

Objic. 4.^o Revera intelligi non potest ex præjecta doctrina, quomodo Deus hominem diligat amore benevolentiae atque amicitiae, ut certe diligit. Nam amor hujusmodi postulat, ut amans diligat alterum unice propter illum, non autem propter se. Ergo si inter Deum, et hominem detur benevolentia et amicitia, oportet, ut Deus homines non ad se ordinet aut ad suam gloriam, sed sistat in bono ac felicitate ipsorum.

Resp. neg. assertum, et probationis *dist.* antecedens: amor ejusmodi postulat, ut amans diligat alterum unice propter illum, ita ut per hoc excludatur ordinatio amoris in commodum et utilitatem ipsius amantis, *concl.*: ita ut per hoc excludatur etiam suprema et ultimata ordinatio amoris illius ad Deum, *neg.* Et *neg.* consequ.

Res patet ex eo, quod amor charitatis v. g., quo unus homo prosequitur alterum propter Deum, certe non est concupiscentiae, sed summæ benevolentiae, et nihilominus refertur ad Deum ulterius, quia est propter Deum. Ergo amor benevolentiae non debet excludere ultimam ordinationem ad Deum, sed solummodo ordinationem ad proprium emolumentum. Cum potissimum nullus possit esse amor honestus

(1) Lessius, loc. cit., cap. 3, n. 60, 61.

ac rite ordinatus, qui ultimo sistat in creatura. Jam vero amor divinus *ideo ipse solus est maxime liberalis, quia non agit propter suam utilitatem, sed solum propter suam bonitatem* (1). Ad rem M. Augustinus: *Diligit nos Deus... Quomodo ergo diligit? ut nobis utatur, an ut fruatur? Sed si fruatur, eget bono nostro, quod nemo sanus dixerit; omne enim bonum nostrum vel ipse, vel ab ipso est. Cui autem obscurum est, non egere lucem rerum harum nitore, quas ipse illustraverit? Dicit etiam apertissime propheta: Dixi Domino: Deus meus es tu, quia bonorum meorum non egess. Non ergo fruatur nobis, sed utitur. Nam si neque fruatur neque utitur, non invenio, quemadmodum diligat. Sed neque sic utitur, ut nos: nam nos, quibus utitur, ad id referimus, ut Dei bonitate fruamur. Deus vero ad suam bonitatem usum nostrum refert. Quia enim bonus est, sumus, et in quantum sumus, boni sumus... Ille igitur usus, qui dicitur Dei, quo nobis utitur, non ad ejus, sed ad nostram utilitatem refertur; ad ejus autem tantummodo bonitatem* (2).

Objic. 5.^o Si homo in beneficio præstando intenderet cognosci, et laudari ab aliis, opus faceret non laude dignum. Ergo a pari Deus non recte, vel saltem minus perfecte, facit suam quærendo gloriam.

Resp. neg. consequ. et paritatem. Quia *periculosum est sibi placere, cui cavendum est superbire*, inquit S. Augustinus. *Ille autem, qui super omnia est, quantumcumque se laudet, non extollit se. Nobis namque expedit, nosse Deum, non illi: nec eum quisque cognoscit, si non se indicet ipse, qui novit* (3).

Objic. 6.^o Agere propter gloriam suam est ambitiosum, vanum et superbium. Ergo id indignum prorsus est Deo, qui est ipsa sanctitas (4).

(1) S. Thom., 1 p., quæst. 44, art. 4 ad 1.^{am} Cfr. 1.^o Contr. Gent. cap. 93, Amplius, sicut.

(2) S. August. de Doctr. christian., lib. 1, cap. 31.

(3) S. August. tract. 58 super Joann. a princ. exponens illa verba: *Vos vocatis me: Magister et Domine: et bene dicitis.* Joann. c. 6, v. 13. Ceterum posse hominem quandoque honeste quærere suam gloriam, ubi utilitas divini servitii vel edificationis proximorum id suadet, sententia est catholicorum DD. cum S. Thoma. (2, 2. quæst. 132, art. 1 ad 3.^{am}).

(4) «Exigitne moralis ratio, ut ego honorem meum quæram eumque ut finem constituam operum meorum, et quo magis cum:

Resp. dist. Agere propter gloriam vanam, *conc.*; propter gloriam veram ac debitam, *neg.*

Tripliciter potest dici gloria vana, primo quidem quando aliquis gloriatur falso, puta de bono quod non habet: unde dicitur prima ad Corinthios: Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? (1). Secundo dicitur gloria vana; quando aliquis gloriatur de aliquo bono, quod de facili transiit, secundum illud Isaiae quadragesimo: Omnis caro fenum, et omnis gloria ejus sicut flos fœni (2). Tertio modo dicitur gloria vana, quando gloria hominis non ordinatur ad debitum finem (3), videlicet ad honorem Dei vel proximi salutem (4). Jam vero nihil horum reperitur in gloria, quam Deus quærit; illa enim sibi debita est, et ulterius ordinari ad alium finem nequit.

Objic 7.^o S. Thomas hæc habet in quodam loco: *Deus suam gloriam non quærit propter, se sed propter nos (5)* Ergo ex mente S. Doctoris gloria divina non est ultimus finis, cui etiam felicitas nostra subordinetur.

Resp. Sensus S. Doctoris est hic, ut satis colligitur ex contextu, quod Deus non quærit gloriam suam *propter suam utilitatem, sed propter nostram.*

quæro, sim perfectior? Cum magnus esse volo in oculis aliorum, et ita me minuo coram mea propria ratione. ego me imperfectum efficio. Qui honorem querit. etsi illum mereatur, est ambitiosus; ambitio autem secundum rationem et revelationem est reprehensibilis et prohibita. (Hermes, *Dogm.* 2 p., paragr. 177).

(1) 1 Corinth. cap. 4, v. 7.

(2) Isaiae cap. 40, v. 6.

(3) S. Thom. *de Mal.*, quæst. 9, art. 1. Alibi S. Doctor (nempe 2. 2. quæst. 132, art. 1) tres modos vanæ gloriæ refert, in quorum primo videntur duo isti priores contineri. secundum autem modum repetit ex parte ejus, a quo quis gloriam quærit, puta hominis, cujus iudicium non est certum.

(4) S. Thom. 2. 2. quæst. 132, art. 1.

(5) 2. 2. quæst. 132, art. 1. ad 1.^{am}

CAPUT II. DE CAUSA EXEMPLARI MUNDI.

98. Cum inter causas ad effectiorem rerum influentes exemplaris forma numeretur, cujus imaginem ac veluti lineamenta opus fabricatum referat, plena de causis mundi tractatio haberi nequit, nisi exemplarem etiam, si qua sit, investigemus. Exemplaris causa vocatur *idea exemplaris*, vel simpliciter *idea*, sumpta hac voce non in significatione cognitionis speculativæ, prout nunc vulgo sumitur, sed in significatione cognitionis practicæ atque operis directivæ: definiturque forma vel similitudo aut imago mente præconcepta, ad cujus imitationem opus aliquod fit, non casu, sed ex intentione operantis. Qua de re fusius actum est in *Ontologia* (1) Idea ergo exemplaris prout ibidem declaratum manet, propria est agentium dumtaxat rationalium et respectu eorum, quæ non casu ad ex naturæ necessitate, verum ex intentione et electione libera operantur. Quare pantheistæ ac materialistæ et positivistæ, ac generatim omnes illi, qui Democriti, Empedoclis et Epicureorum vestigiis insistentes, aut casu mundum effectum esse, aut certe non a causa libera, effutunt, nullam queunt exemplarem causam mundi agnoscere. Contra quos omnes dudum Plato ideas, quasi typos rerum faciendarum, necessarias prorsus esse decrevit; erravit tamen, si illas, ut multi referunt (2), extra Deum et extra individua per se existentes finxit, quemadmodum jam in *Logica* diximus (3). In eo etiam erravit Plato, quod ideas dumtaxat specierum ac substantiarum admisit, accidentium autem et generatim singularium omnium negaverit (4). Pejus errarunt illi, qui, ut refert S. Tomas,

Quid
exemplaris
causa.

Ejus oores.

(1) A n. 425, pag. 1101 seqq.

(2) Vide S. Justin (*Cohortat. ad Gent.*), Tertullian. (*de Anima*). Nazianzen. (*Orat.* 27), Eliam Cretens. *In Orationem* 10.^{am} Nazianzen.

(3) Num. 154, pag. 662. Vide S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 1; 1.^a dist. 36, quæst. 2, art. 1.

(4) Vide apud S. Thom. *de Verit.*, quæst. 3, art. 7 et 8.